

Semler:  
Epis. Ila  
mater latrunc  
qua tractatione  
juridica depon  
ne translatio  
in locutione per  
petua exinde  
patronum suum  
patrem nobilium  
probulatum



9 211

*Epistola Gratulatoria*

q v a

TRACTATIONE IVRIDICA

d e

DOMINII TRANSLATIONE

i n

LOCATIONE PERPETVA EXVLE,

PRAEMISSA.

DIEM XVIII. DEC. PATRIS OPTIMI NATALEM

LAETABUNDA MENTE

GRATVLATVR

ADAMVS SIEGISMVNDVS PHILIPPVS SEMLER

IUDICII CIVITATIS, QVOD HALAE EST, ASSESSOR.

---

HALAE,  
FORMIS I. C. HENDELIL.  
MDCCCLXXXIV.



EPISTOLA GRATULATORIA  
G A V  
TRAGTATIONE IARIDIC  
D E  
DOMINI TRANSITIONE  
IN  
LOCUTIONE PERPETUA EXALTE  
BRAHEMUS  
DIEWXAII DCC. FARTIS OPTIMI NATALIE  
VETABUNDY MENTE  
GRATULATOR  
ADVOCATIUS SIGISMUNDAS PHILIPPIUS SEMPER  
LUDICU CAVATIS QOD NIANE HET, ALESSOR





Diem natalem T V V M, felicissimis sub auspiciis ex animi mei sententia hodie iterum redeuntem, gratulaturus certissime quidem persuasus sum, vota ex animo laetissimo a me proferenda levioris forsitan fore momentu, quam ut sereniore fronte a T E, pater summa verecundia mihi colende, excipi mereantur. Attamen nec a me impetrare potui, vt hodierno die, quem Deus ter optimus maximus per longam annorum seriem faultissimum esse velit, ne verbum quidem de maxima animi mei laetitia, qua hodie perfundor, facerem, nec committere volui, vt in tanta frequentia eorum, qui hodiernum diem natalem T I B I congratulantur meum erga T E pietatis officium iucundissimum prorsus desideraretur. — Etenim eiusmodi silentium a me occasione diei felicissimi huius admissum nimium dulce illud sanguinis et pietatis debitum atque officium, quod nexu quodam diuino parentes inter et liberos copulatum putat Imperator Iustinianus in L. pen. C. de Adopt. laederet, meque maxi-

A

CG

maximae impietatis et ingratitudinis suspectum redderet? —  
 Iam vero Imperator Constantinus in L. 28. C. de Inoff. Testam  
 mandauit liberis, obsequium debitum lugiter, prout ipsius naturae  
 religio flagitat, parentibus suis adhibere. Quare mecum constitui,  
 hodie idem hoc **TIBI**, Pater optime, quod laetabunda men-  
 te sane facio, hisce flagellis probare, votaque ardentissima et bo-  
 na verba pro salute **TV A** optima hodierno die iucundissimo pro-  
 ferre, et eo lubentius his votis proferendis certe me offero, quan-  
 to magis **TIBI** complacere cupio neminemque in his paribus  
 officii iucundissimi explendis habeo cui magis obsequi et prodeesse  
 cupiam Haec vero vota a me proferanda, ut beneuelle  
 licet leuioris forsan ponderis sint, in signum verecundissimum ani-  
 mi mei laetissimi gratissimique accipere atque interpretari velis  
 primum est, quod iam abs **TE**, Pater aestumatissime etiam at-  
 que etiam peto; idque frustra me non esse rogaturum, de eo  
 maxima **TV A** humanitas abunde satis mihi cognita dubitare,  
 non finit. — Cum vero tanta mihi non sit dicendi copia, ut solen-  
 nia diei felicissimi, maximaque **TV A** in me a primis pueritiae  
 temporibus collata beneficia ea qua decet, orationis grauitate  
 et varietate persequi possim; non sine ratione veritus sum, ne  
 longa et minus digna illorum enarratione nimiam **TIBI** affer-  
 rem molestiam, follemniaque diei laetissimi, **TV A** que circa me  
 merita dicendo magis diminuerem, quam augerem. — Non  
 iniucundum ideo **TIBI**, Pater carissime, fore putaui, si pau-  
 cis verbis tantum hodie **TE**, ut decet, de animi mei sum-  
 ma laetitia atque gratitudine certiorem facerem, potuisque  
 occasione diei hodierni tractatulum quandam de quo-  
 dam iuris themate a me conscriptam verecundissime offer-  
 rem. — Tanto lubentius sane hanc elegi viam quanto iu-  
 cundiorum mihi inde naram esse cognoui occasionem, **TIBI**,  
 Patrum optime, quod facio laetabunda mente, probandi, me  
 partes reipublicae mihi iam concreditas, vel forsan adhuc con-  
 cre-

credendas non siue omni commodo ac studio esse administratum. - De conscribenda tali tractatiuncula mihi iam meditanti, et thema, tam controuersum, quam viribus meis quodammodo accommodatum eligere volenti tandem ex iure Ciuiili illud:

*De dominii translatione in locatione conductione perpetua exule,*

-tractandum occurrit, de quo quidem et scripsit F R A N C. A N D.  
K I E F F E R diff. de locatione longi temporis translationem domini, excludente. Argent. 1750. verum id mihi non contigit, vt eam iantum ad perlegendum haberem, quare nec ea in elaboratione huius tractatunculae vti potui, - Sane hoc angustis limitibus harum plagellarum, quibus premor, aptissimum est, nec quoque vsu fori plane destitutum, si recordari velis, quod rusticæ conditionis homines in Germania, plerumque praedia sua iure locationis conductionis perpetuae possidere soleant, adeoque non parum, ad iura eis in haec competentia, admodum inter ICtos contouersa, determinanda atque limitanda faciat, accuratius inquirere, quodnam sit ius illud, quod per locationem conductionem perpetuam in genere ex mente legum transferri solet, vel non. - Priusquam vero, me ad opusculum ipsum eleborandum accingo,  
**T E**, Pater optime, iterum quam maxime rogatum esse volo, vt mihi ignoscas, si non omnia ex voto sint exantata; cum etiam si desint vires, tamen sit laudanda voluntas. Si denique forsitan extraneo ciuidam Lectori hae plagellae in manus atque oculos quoque incident, hunc omni, qua par est, modestia enixe rogo, vt beneuelle forte commissos errores excuset, cum errare humanum esse soleat, adeo, vt ex mente Imperatoris Iustiniani in L. 2. §. 14. C. de veteri iure encl. diuinitatis fere sit, in nullo penitus errare.

**C**ontractus ineundi voluntati hominum debentur; contractus initi demum legum dispositioni subsunt. — Et quidem quemlibet hominem secundum suum liberum arbitrium, et in id, quod sibi maxime prodeesse putat, minime vero in id, quod sibi nocet, plerunque contrahere ex ipsa natura humana, vtpote magis ad ius acquirendum vel conseruandum, quam ad ius iam acquisitum amittendum prona, iam sati probatur. — Legum conditores vero naturae humanae conuenienter in iure Ciuli definiendo se se accommodasle, et in dubio quemlibet contrahentium magis de conseruando, quam de amittendo iure suo iam competente cum altero pactum statuisse, de eo quam plurima in legibus nostris exstant exempla.<sup>(a)</sup> Qui hanc obseruationem negligit, ille nunquam veram naturam contractuum rite poterit perspicere. — Quamobrem in primis eam iam Hertius in Annotationibus ad Puffendorfii I. N. et G. Lib. V. Cap. 2. §. 5. commendauit. Idem fecit Gundlingius in Iure Naturae, cuius verba Cap. XXIII. §. 51. ita loquunt: Hinc potius iuris studiosis inculcamus, vt quid in actibus rerum obueniat, qui finis, quae intentio contrahentium sit, probe circumspiciant, ac contractus cuiusque genesin et generationem ante oculos perpetuo habeant. Clarius idem eodem in capite §. 33. ait; Auii intentio vero vnicuiusque conventioni essentiam, formam, atque naturam conciliat. Cum eo idem hoc sentit Osius Aurelius in Dispositionibus ad Merillium Disp. 24.<sup>(b)</sup> Si itaque quaestio de eo quodnam ius ex contractu initio in alterum contrahentium translatum sit, vel non? oritur, ex voluntate contrahentium expresse declarata ante omnia hoc determinandum, qua vero desiciente ad legum dispositionem demum confiendum, et secundum eam semper quam minimum ius proficuum

(a) Conf. e. g. L. 9. D. de Demonstr. et Cond. L. 13. D. de Tritico etc. Not. 22. Cap. 2.

(b) Quae in Thesauro juris Civilis Ottoniano Parte III. exstant,

in alterum translatum statuendum erit. -- Idem igitur et quoad loca-  
tionem conductiōem in igniere seruandum esse dubium non est, cum  
contractus species sit. -- Quantum vero nihilominus ab illa regula  
D.D. in locationis perpetuae effectu determinando aberrant, ex iam  
dilectis mox patebit.

## §. 2

Dum verba quaedam de effectu locationis perpetuae facere me-  
cum constitui, nou parum perspicuitatis ad meliorem eorum intellectum  
conservi posse persuasum habeo, si, quid sit locatio conductio in genere?  
et quae sit eius natura atque essentia? summa breuitate praemittam.  
Est vero locatio conductio contractus bonaē fidei, nominatus, atque con-  
fensualis, quo quis usum rerum non fungibilium vel operarum liberali-  
um determinatum in alterum deriuat, qui, pro eo certam mercedem in  
pecunia numerata, definito tempore se soluturum promittit. Hac ex defi-  
nitione prono fluunt alveo ea, quae sequuntur: I.) Locatio conductio  
quoad formam atque substantiam suam solo consensu contrahentium  
utrinque serio, specificie, atque satis definite declarato iam perfici-  
tur, <sup>(a)</sup> neque villam aliam ex mente legum Romanarum ad suam  
perfectionem requirit sollempnitatem necessariam, nisi eam, quam prae-  
terea ipsis contrahentibus forsan pacto singulari adiicere placuit, qua-  
lis interdum maioris probationis gratia esse solet scriptura desuper con-  
ficienda. III.) Locatio conductio ad substantiam suam semper requirit  
mercedem certam, i. e. quantitate omnimode definitam, pro usu  
concessio a conductore promissam, atque debito tempore solvendam,  
de cuius qualitate breuis tantum tenendum, quod (I.) statim ab ini-  
tio vel positie, vel per relationem ad arbitrium certae alicuius per-  
sonae, vel inter alias personas iam conuentam locationem a contra-  
hentibus determinetur. <sup>(b)</sup> cum alias locatio conductio ineunda red-  
datur

(a) pr. I. d. t. Loc. L. 1. 2. et 14. D. ibid L. 24. C. cod.

(b) §. 1. L. Locati.

datur nulla; (c) 2.) in specie constet in pecunia numerata, cum alias non locatio, sed permutatio, aut aliis contractus immominatus fiat. De iure Pandectarum hoc saltim extra dubium positum esse, satis iam probatum dedit Celeberrimus W A L C H I V S. in Controversiis iuris ciui-  
lis Sect. III. Cap. IV. M. II. subf. II. § 3. Nam quod ex L. 35. §. 1. in fine D. Loc. Cond. vulgo adhuc profertur dubium, vix alicuius poulderis haberi potest, cum §. plus ille legis citatae non de locatio-  
ne conductione, sed potius de colonia partiaria, quae magis societatis, quam locationis conductionis naturam imitatur, loqui videat-  
tur. Iure Codicis vero et mercedem in fructibus consistentem ad-  
mittendam esse volunt nonnulli DD. ob L. 21. C. de Locato etc., et  
quidem in primis ob verba: *fructus anni locasti*; quae hac in lege occurunt. Sed nescio, an recte? cum lex ista non tam de mer-  
cede in fructibus consistente, quam potius de ea locutionis con-  
ductionis specie, cuius obiectum in fructibus anni ex re quadam  
vtendis consistit, loqui, adeoque parum ad stabiliendam sententiam illorum DD. qui pecuniam numeratam hodie pro essestiali mercedis in  
locatione conductione soluenda non amplius habent, conferre mihi saltem videatur. III.) Locatio conductio tandem *consummatur* quidem facta ex parte locatoris in conductorem traditione rei locatae, quae tamen, cum semper naturam tituli eam praecedentis sequatur, locatio ve-  
ro, vt pote in qua non id, vt proprietas rei locatae aliqua in conductorem transeat, sed potius id tantum agitur, vt vsusfructus illius huius tantum sit pro certa mercede soluenda, titulus dominii translatiuss non sit, praeter ius ad rem, aliud ius in re locata, vel dominium in conductorem nec transfert, nec ex sua natura mere accessoria transferre potest. Domini-  
num per locationem conductionem ex sua natura regulariter non trans-  
ferri, et Leges Romanae ipsae satis probant. Sic enim in L. 139.  
D. Locati disertis dicitur verbis, *quod locatio dominium mutare non soleat*. Verbum vero *solet* non semper ita iure nostro liberum arbitri-  
trium,

(c) L. 35. pr. D. Locuti.

um, sed saepissime et idem, ac *poteſt*, significare, ex multis aliis in corpore iuris nostri obuiis locis probari potest, quae tamen hic colligere ad rem meam mihi non pertinere videtur. Inſigne autem habes exemplum in L. 2. C. de Confirm. Tūt, de quo videatur Franzkius in Commentario ad ff. h. Tit. n. 35. — Non itaque recte hac ex lege, vt quibusdam DD. viſum est, concludi potest, quod Locatio conductio quidem non ſoleat, ſed tamen poſſit ex voluntate contrahentium, dominium in conductorem tranſferre. Et ſi forſan alicui lex iſta non ſatis clara videatur, aliae adhuc ſuperſunt leges allegandae, quibus, quod locatio non ſit titulus dominii translatiuſ, probari potest. — Huc e. g. faciunt L. 80. §. fin. D. de Emt. Vend. L. 65. D. eodem L. 25. C. Locat. L. 60. §. 1. D. cod. L. 2. C. de Praeſcript. 30. ann. aliaeque plures. — Et haec regula, quod dominium nullum in conductorem tranſeat, ſed penes locatorem illud remaneat, adeo generaliter et indiſtingue vera mihi videtur; vt nec illa, quae vulgo allegari ſolet, excepiſio, ſi ſcilicet ex voluntate contrahentium paetum de domino in conductorem tranſferendo locationi conductioni adiectum ſit, ſolido ex fundamento contra illam admitti poſſit. Nam etſi hinc inde in LL. dicatur, quemlibet de re ſua pro lubitu in gratiam alterius diſponere poſſe (d) paetū dare legem contracribus et negotiis, quibus apponuntur, (e) et contractus ex conuentione contrahentium ſpeciali ſumere naturam: (f) tamen id ſub hac limitatione ſolum intelligendum eſt, quod per placita contrahentium contractui adiecta naturalia tantum et accidentalia, minime vero essentialia (g) eius mutari queant, cum hacc a contractu determinato non poſſint ita abeffe, vt idem contractus ta-

B

(d) L. 21. C. de Testam.

(e) L. 7. §. 5. D. de Paſtis.

(f) L. 1. §. 6. D. Depof. L. 52. D. de V. O. L. 23. D. de Reg. iur.

(g) L. 20. §. 2. D. pro Soc. L. 27. pr. D. de Paſtis L. 11. §. 1. D. de Reb. Cred. L. 1. §. 45. D. Depof.

men maneat.<sup>(h)</sup> Non ergo eiusmodi pacti adiecti effectus is esse potest, quod nihilominus saluus maneat contractus ab initio conuentus, sed potius ille, tali pacto circa mutationem essentialium eius apposito, mox exspirat vel plane in alium contractum degenerat. Habes exempla hac de re in L. 31. D. Locati L. 24. et 26. D. Depof. et L. 80. §. vlt. D. de Contr. E. V. Id quod monendum in primis venit contra Ioh. ROEPPENIUM in Lib. I Obs. 84. n. 3., qui pactis contrahentium adiectis ordinariae contractuum naturae atque essentialiae derogari posse putat. — Iam vero certe ad essentialia locationis conductio-  
nis pertinet, quod per illam dominium in conductorem non transeat. Hinc patet, pacto adiecto de dominio in conductorem transferendo id, salua natura locationis conductionis, tolli non posse, sed eo for-  
san adiecto, hanc statim degenerare in alium plane contractum, adeo-  
que regulam supra traditam, locatione conductione dominium in con-  
ductorem non transferri, illas tam manere. Et in hoc ipso primaria  
differentia locationis conductionis ab emtione venditione, cui alias illa  
maxime similis est, consistit, vt pote qua ab initio id statim agi-  
tur inter contrahentes, vt dominium rei venditae in emtorem trans-  
feratur. — Quod idem a Icto Labreone assertur in L. 80. §. fin. D.  
de E. V. quando ait: *neminem posse videri eandem rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emtorem transeat sed hoc aut Locatio- nem esse, aut aliud genus contractus.* — Inde quoque est, quod peri-  
culum rei conuentae quidem transeat ad emtorem, non ad conductorem.  
<sup>(i)</sup> Quod tamen cum regulariter effectus sit dominii translati, in  
conductore vero cefset; inde eo minus de eo dubitari poterit, quod  
locatione conductione dominium non transferatur. Id quod tandem  
L. I. §. 1. D. si ager vect. in verbis: *Quamvis non efficiantur domini  
fatis quoque probat.* Recte itaque vulgo DD. sentiunt de conductore  
quod

(h) §. vlt. I. de Mand. L. 6. §. 1. D. de act. E. V.

(i) L. 9. §. 3. L. 15. §. 1. L. 25. §. 5. D. Locati.

quod neque dominus, neque possessor, sed nūdus detentor rei conductae sit, et per eum locator ipse tantam ciuiliter rem locatam possideat, adeo, vt ille imaginem locatoris, vtpote domini sui, a quo ius detentionis deriuat, semper repraesentet, atque circumferat. (k) — Caeterum ex mente legum Romanarum magna inter locationem conductionem et emtionem venditionem quidem intercedit similitudo, (l) iisdemque regulis iuris illa cum hac confistere atque definiti vulgo fertur. — Verum eatenus solum, quatenus vtriusque contractus paratio et natura scilicet patitur, id admitti, minime vero eo vsque cum quibusdam ICtis extendi potest, vt nulla plane differentia sit inter hanc et illam, potiusque unus idemque contradic sit locatio et venditio, statuatur. — Hoc enim oppido falsum esse, et vbiique diuersae naturae contractus, quam Leges Romanae inter vtramque ipsae agnoscent, prorsus repugnare, iam satis docent illae variae iuris differentiae et regulae inter vtramque ab ipsis legibus constitutae, quae vulgo in compendiis iuris ciuilis a DD. traduntur, quaeque certe vtrique contractui pariter, siue sublata huius vel illius essentia, conuenire non possunt. Sic enim e. g. in emtione venditione *pretium*, in locatione conductione vero *merces* solum intervenit (m); in *illa* porro transit non solum possessio *naturalis* in emtorem, sed et *ciuilis*, cum animo scilicet dominium transferendi ex parte vendoris tradentis coniuncta (n), in *bac* vero tantum usus rei determinatae concessus transit in conductorem et nuda detentio, non possessio ciuilis et multo minus dominium rei locatae. (o) — Sed non amplius hic in reliquis inter

## B 2

vtram-

(k) Conf. Franzekium in Comment. ad ff. Tit. Locati n. 8. et Cothmannum in Ref. P. I. Resp. XXXI. n. 18.

(l) pr. §. 3. I. Locat. L. 2. D. pr. eod.

(m) L. 2. D. Locat.

(n) L. 1. D. de Per Pennat. L. 80. §. fin. D. de Contr. E. V.

(o) L. 39. et 60. D. Locati L. 65. D. de E. V. Contr.

vtramque iuris differentiis recensendis moror, quae partim iam supra notatae sunt, partim adhuc infra notandae erunt.

§. 2.

Variae vulgo in Tractatibus iuris civilis tradi solent divisiones locationis conductionis; partim in Legibus ipsis, partim in opinionibus DD, fundatae; quas omnes vero hic enarrare, nec angustia temporis, nec instituti ratio permittit. Quare iam ex his solum eam distinctionem brevibus hic attingam, qua locatio conductio distingui solet in *Regularem*, atque *Irregularēm*, quaeque non in ipsis legibus fundamentum suum habet, sed merum Doctorum atque Glossatorum inuentum est. Ex horum mente vero locatio conductio Regularis est ea, quae praeter usum concessum nihil quidquam iuris in re locata in conductorem transfert, qualis solum est ea, quae iam supra §. I. a me definitam habes, Irregularis vero ea, quae praeter usum determinatum adhuc dominium quoddam derinat. Huius varias DD. excogitarunt species, nunc iam paullo plenius recensendae. Inesse euim vulgo putant talem locationem conductionem irregularēm, dominii translationem I.) ex iure Germanico in Contractu socidae, qui per locationem conductionem certorum pecudum ferreorum ratione numeri definitorum, cum conditione periculum eorum suscipiendi ex parte conductoris coniunctam constituitur, et quidem ea ex ratione, quia periculum omne animalium conductorum non penes locatorem maneat, sed in conductorem solum transeat, hoc vero signum translati in hunc dominii certe sit. Verum solido fundamento mihi haec opinio DD. destitui videtur. — Conuenit enim quidem contractus socidae fere in omnibus cum locatione conductione supra §. I. definita, et in eo saltem differt ab ea, quod in eo pecudum ferreorum periculum omne conductorem maneat, cum alias res locata regulariter suo domino, scilicet locatori, solum pereat. Male hinc vero concluditur, ex hoc contractu secundum ius Germanicum dominium pecudum locatorum in conductorem, mediante quadam locatione irregulari, transferri, cum

cum negari vix possit, permittos in legibus nostris dari casus, in quibus translatio periculi in alterum contrahentium non ex dominio rei conventae translato, sed potius ex singulari eius susceptionem concorrente pacto adiecto proficietur. — Inter quos casus et ille referendus, qui in contractu sociæ occurrit. — Conductor scilicet in eo periculum pecudum locatorum non ex translato quodam dominio, sed potius ex singulari per pactum adiectum facta eius susceptione, quae, cum naturale contractus solum concernat, nec iure Naturae, nec iure Ciuii (a) vel Germanico prohibita reperitur, sustinet, adeoque per hoc natura locationis conductionis in genere plane non mutatur, sed manet eadem, quae in locatione conductione generatim deprehenditur, scilicet dominii non translativa. — Scilicet conductor vnumfrumentum solum animalium locatorum consequitur, licet in praestando eorum periculo conditionem suam ex spontanea voluntate in pacto adiecto declarata, fecerit duriorem, dominium vero penes locatorum animalium manet. Abunde fatis hoc inde probatur, quod orto de bonis conductoris concursu locator animalia adhuc in vivis existentia iure dominii sibi competentis ex eo sibi iterum vindicet, nec quoad haec concursui sese immiscere teneatur, et ratione animalium consumtorum solum chirographariis creditoribus adnumeretur. (b) Accedit quod id, quod DD. aliter sentientes supponunt, scilicet contractum sociæ esse Germanicae originis, adeoque ex iure Germanico solo dijudicandum esse, nequidem adeo certum sit, ut de eo dubitari plane nequeat. — Saltem enim iam exinde, quod in antiquissimis iuris Germanici collectionibus vix vnum contractus sociæ vestigium occurrat, admodum, praesertim, si argumento ex L. 8. C. de Pactis, vbi negotium huic contractui admodum simile reperitur, utaris, sit verosimile,

(a) arg. L. 3, C. de Fideiuss. L. II. §. 1. D. de act. emt.

(b) Conf. LEYSER in Iure Georgico Lib. II Cap. XIV. n. 47. et 48. STRYCKII Diss. de diuersorum colonorum iure §. 7. et 8. BERGER in Resp. Lib. II. Resp. 216. m. 380.

contractum istum Romanis iam non fuisse incognitum, et ab his de-  
mum ad Germaniam aequa, ac in alias prouincias, transisse. — Loca-  
tionem irregularē dominiū quoddam transferentem sibi porro  
persuadent DD. II.) adeste in Colonia partaria, quae est contractus con-  
fugalis, quo a domino cultura atque usus praedii sui, scriptura regulariter  
interueniente, in aliquem deriuatur, qui non certam in pecunia numerata  
consistentem mercedem, sed certam fructuum in ipso praedio con-  
ducto nasciturorum partem domino praestandam promittit vel  
quo, ut PLINIVS Lib. IX. Epist. 37. eleganter ait, non *numeris*,  
sed *partibus* locatur: (c) et quidem DD. istam locationem irregularē,  
quae huic coloniae partariae inesse credunt, exinde colligere volunt,  
quod conductor cum locatore ex simili ac communicato quodam iure  
reali de fundo ipso eiusque damno vel lucro participet, hoc vero ex  
sua parte fieri non possit, nisi ab initio saltem pro parte factus sit con-  
dominus fundi. — Sed et haec DD. conclusio firmo non stat talo. —  
Supponunt enim DD. in ea formanda primum, locationē in genere  
adeste in colonia partaria; id quod vero fallit est, cum potius haec  
ex sua natura negotium a priori maxime diuersum sit. Sic enim 1.) colo-  
nia partaria ad formam suam scripturam, cum sine hac de rati contrac-  
tū colenario, utpote plerumque in longius vel perpetuum tempus  
celebrato, ex longo temporis interuallo vix ac ne vix quidem recte  
constare possit, regulariter requirit, non vero locatio conductio, nisi  
ex placitis contrahentium adiectis; 2.) colonia partaria necessariam  
non habet mercedem in nummis consistentem, sed solum pensionem  
fructuum quorundam ex parte conductoris quotannis praestandam,  
sine illa vero locatio conductio non procedit per §. 1.; 3.) in colo-  
nia partaria obligatio ad tributa ex fundo quoad culturam et usum  
communicato soluenda sequitur colonum, quae in locatione conductione  
pertinet ad locatorem: ut alias taceam differentias. — Quamobrem  
alii

(c) De quo videndae sunt L. 25. §. 6. Locati L. 45. D. de usur.

alii DD. iam dudum putarunt, nullam platie locationem conductionem, sed potius veram inter colonum atque dominum fundi initam societatem, qua scilicet ille culturam, semen, atque operas, hic vero fundum ipsum communicat, ea lege, ut certam portionem fructuum ab illo praestandam accipiat, in colonia partaria subesse, (d) quoram opinio etiam ex L. 25. §. 6. D. Locati non parum fane accipit ponderis. — Posita igitur haec inter dominum fundi atque colonum societate, iam ex natura ordinaria contractae societatis profluunt ista iura in re utilia, quae DD. vulgo nonnisi mediante locatione conductione irregulari in colonum partiarium transisse aiunt. — Verum et in casu, si in colonia partaria locatio conductio quedam statuenda esset, tamen inde, eam simul dominii translatidam, adeoque irregularē fore, nondum sequeretur, cum communicatio fundi et perceptio fructuum ex eo prouenientium non tam ex translato in colonum partiarium eius dominio, quam potius ex pacto singulari contrahentium adiecto tunc de scenderet, adeoque naturam ordinariam locationis conductionis, dominium non transferentem, plane non euenteret. — Praeterea etsocietas s. communio s. Condominium hic non tam tangit substantiam rei quam fructus. Tandem DD. eiusmodi locationem conductionem irregularem III.) et in locatione perpetua ipsa eo cum effectu, vt per illam in conductorem praeter usum concessum et dominium quoddam, praesertim illud, quod vtile appellant, quoad rem locatam transferatur, in eoque potissimum a regulari locatione conductione §. 1. et 2. definita differat, variis ex rationibus, infra accurate recensendis, reperiri volunt. Quod an legibus ipsis vel earum analogiae conueniat, vel non? meum iam est, plenius disquirere. — Veritatis magnam speciem quidem haec DD. opinio ideo p[ro]ae se fert, quod innumeros inter Ctos maximi nominis inuenierit fautores, (e) ideoque non solum communis fere DD. opinio fa-

(d) Conf. Colleg. Aug. ad Tit. locati th. 12. n. 10.

(e) quorum Catalogum KAESTNERVS in Programmate de erronea DD. opinione, per locationem in longius tempus factum vtile dominium transferr, Lip[iae] 1744. edito §. 4. exhibet.

cta, sed et passim consuetudine fori in contradictrio obtenta atque rerum iudicatarum auctoritate corroborata sit. — Nihilominus tamen eius falsitatem, in quantum vires meae permittunt, detegere lubet. Quanquam enim non vilis eius, quod plures DD. sentiunt, et consuetudo fori confirmat, auctoritas esse debeat; tamen non eo vsque voluntur est, vt in manifesto errore, ius facere possit arg. L. 2. C. Quae sit longa consuetudo etc. Manifestum eiusmodi errorem modo dictae DD. opinioni vere subesse, vt eo melius caeterum demonstrari possit, iam non abs re erit, quaedam de locatione perpetua generatim praemonere.

§. 3.

Ratione temporis scilicet, in quod locatio conductio ex placitis contrahentium imiri solet, altera iam oritur eius diuisio, qua in *Temporalem* et *Perpetuam* diuiditur quaeque ipsis legibus Romanorum contentanea est.<sup>(a)</sup> Temporalis est ea, quae in certum ratione annorum definitum tempus, quod pro arbitrio contrahentium variare potest, contrahitur. Haec apud Romanos siebat quoad bona priuatorum plerumque in quinquennium<sup>(b)</sup>, quoad bona fiscalia vero minori tempore, quam triennio, fieri non poterat<sup>(c)</sup>, ne forsan fisco spes compensandi sterilitatem viuis armi cum libertate sequentium annorum, per quos durauit locatio conductio, contra conductorem remissionem mercedis ob illam urgenter eripiatur, et statim ille hanc praestare cogatur<sup>(d)</sup>. Hodie autem pro arbitrio contrahentium admodum quidem variat, sed plerumque tamen quoad praedia urbana in annum, quoad prae-

(a) Conf. L. 10. C. Locati. L. 2. et 5. C. de locat. praed. eiv. L. 1. et 2. D. si eger vedi. etc.

(b) L. 9. §. 1. L. 6. §. pen. L. 24. §. 2. D. Locati. L. 30. D. de Legat.

(c) L. 4. C. de Vestig. et Commerc.

(d) L. 15. §. 4. D. Locati. L. 35. C. eodem.

dia rustica vero in triennium, cum pro moe regionis et agriculturae nostrae intra breuius tempus agricultura perfecta absolu*n*on possit, ini*r* solet. Perpetua contra locatio condu*c*ti*o* ea est, quae, nullo ad tempus quoddam ratione annorum definitum habitu respectu, ex placitis contrahentium expressis ea lege contrahitur, ne conductori vel eius heredibus v*u*sl circa rem locatam seniel concessus, quamdiu merces conuenta debito tempore ab illo vel his praestatur, absque iusta causa a locatore iterum auferatur. Sequitur ex hac definitione. 1.) neque possessionem per longissimum tempus, neque locarum v*u*niforme semper solutum, sed pactum expressum inter locatorem atque conductorem ab initio ea lege, ne conductori vel eius heredibus absque iusta causa res locata iterum auferatur, initum, effentiam locationis conductionis perpetuae constituere; 2.) nullum amplius ius in re locata conductori perpetuo competere, quam solum ius conductitum, i. e. ius in re locata, tanquam aliena, non tamquam propria, quoad v*u*sum solum, non vero quoad proprietatem competens, vt pote quae locatori ip*s*fi, tanquam domino solitario, propria manet, v*t*i infra pluribus erit demonstrandum; 3.) Ipsum hoc ius conductori perpetuo in re locata competens ergo esse nec a.) a iure priuati alterius independens ius proprium, cum ad solum rei locatae v*u*sum refrictum sit, atque directionem superioris aliquam agnoscere teneatur, adeoque propter ipsum ius proprietatis locatori competens certos limites in suis de re conducta dispositionibus seruare cogatur; nec b.) purum ius, sed conditionatum, sub conditione scilicet mercedis conuentae debito tempore soluenda competens, adeo vt, si interpellatione diei pro homine facta, die veniente non soluatur, illud ipsum ipso iure, sententia tamen iudicis declaratoria interueniente, ex natura locationis conductionis reuocabili et ex legum dispositione iterum resolutur (e); 4.) Locationem conductionem perpetuam quae vulgo dici solet Erbpa*cht*, ad suam formam requirere, vt nullum plane tempus, quoad annorum numerum definitum, adiectum sit, quo elaps*o* v*u*sl circa

C

ca

(e) L. 54. §. 1. D. Locati. arg. L. 2. D. Si ager v*e*c*ti*g.

ca rei locatae concessus iterum a conductorē revocari possit, et in infinitum potius, quamdiu merces soluat, usus illius concessus sit. Vnde maxime ii. DD. errant, qui eam quoque locationem conductionem, quae ad longum tempus, scilicet ad decennium, vicennium, etc. tantum inita est, cuiusque exempla occurunt in L. 24. §. 5. L. 32. et L. 60. D. Loc. Cond. L. 2. C. de Praescript. 30. vel 40. ann. et Nou. 120. Cap. 3., pro locatione perpetua habent, cum haec potius sit species conductionis temporalis, utpote quod ex adiectione temporis ratione anhorum definiti probatur, quae naturae locationis perpetuae modo definitae prorsus repugnat. — Locationem conductionem ceterum tum ad definitum tempus, tum in perpetuum a contrahentibus pro iubitu iniri posse, dubium non est, cum temporis adiectio solum ad accidentalia cuiusque contractus pertineat, quorum arbitrariam determinationem leges contrahentibus nullibi prohibuerunt. Quia vero locatio perpetua magis, quam temporalis, in persona locatoris proprietatem rei locatae exercendam impedit, immo eam fere inutiliter reddit: inde est, quod locatio conductio saepius temporalis, rarius vero perpetua iniri soleat, adeo, ut illa regulam, haec vero exceptionem fere constitutus: vnde hoc respectu non immerito illa *Regularis*, haec vero *Irregularis* appellari potest. Et in hoc est, quod iterum locatio maxime ab emtione venditione differre soleat, cum haec regularis titulus iuris acquisitiuus perpetuus sit, exceptis in casibus, si vel sub pacto retributio, vel sub lege commissaria, vel sub in diem addictione celebrata sit. De natura ordinaria locationis conductionis ergo cum sit, ut fiat in tempus definitum (f) contrahentes vero in dubio semper feso in id, quod ut plurimum ex more regionis suae fieri solet, solum conformasse censeantur; (g) locatio perpetua ab eo, quod plerumque sit, aberret, et locatori usum proprietatis suae in re locata fere prorsus interuerat; inde sequitur, in dubio semper locationem temporalem tantum

(f) L. 4. §. f. D. de Precar. L. 13. §. 11. D. Locat.

(g) arg. L. 19. D. de Indiciis L. 19. C. Locati.

tum esse *prae sumendam*, perpetuam vero *probandam*: sed haec de locatione perpetua in genere dixisse sufficient. Et iam proprius accedo ad tractandam quaestione propositam: an haec locatio conductio perpetua sit titulus dominii translatiuus verus vel spurius? in qua cum posterius assere non dubitem, meum iam officium erit, 1) ex sufficientibus argumentis, per locationem conductionem perpetuam dominium non transire, probare; 2) rationes DD. dissentientium recensere atque pro virium facultate refutare.

S. 4.

Locationem conductionem perpetuam speciem esse locationis conductionis in genere, adeoque in dubio de illa eadem omnia, quae de hac leges constituerunt, valere etiam debere, ex dictis in §. 2. dubitari sane non potest. Nam vero et ex praemissis in §. 1. de locatione in genere principiis indubitate iuris est, per hanc generatim dominium rei locatae in conductorem ex sua natura non transferri; Ergo exinde quoque sequitur, nec in ea locationis conductionis specie, quam locatione perpetua constituit, titulum dominii translatuum contineri posse, cum speciei non maior, quam generi suo, effectus inesse regulariter soleat. Solido autem alio fundamento translationem istam dominii, quam DD. in locatione perpetua vulgo quaerunt, prorsus destitui, ex nunc dicendis mox in aprico erit. Vnde enim, quae se, oriretur, nisi vel 1) ex indefinito tempore, quo solum locatio perpetua a temporali differt; vel 2) ex legum dispositione vel denique 3) ex ipsa contrahentium intentione? sed ex nulla harum fontium ratio quaedam ad factam in conductorem translationem dominii sufficienter concludens deriuari potest; ergo reliquum nihil manet, nisi statuere, illam translati domini speciem, quae locationi perpetuae vulgo inesse creditur, ad non entia iuris referendam esse. Posterius per se patet, prius cum a me demonstratum erit. Igitur ad L.) tempus indefinitum quod attinet, hoc nihil sancte ad rem consert. Temporis enim solius tanquam quantitatis, nulla plane esse potest efficacia, ergo

C 2

nec

nec ea, vt contractus naturam proffus mutare, et dominii translatio-  
nem in alterum contrahentium detinare queat, quae alias de essentia  
contractus non est. Nęque enim Leges ipsae volunt, tempus per-  
se esse modum validum obligationem aliam inducendi, quam quae ab  
initio contractus, quod semper, si de effectu eius determinando qua-  
ritur, spectandum est, (a) constituta est. — Constitutum porro in  
legibus reperitur, tempus solum atque in se spectatum, modum non  
esse dominium in alterum transferendi, nisi iustus atque idoneus titu-  
lus acquisitionis praecedat. Talem vero per §. 1. locatio conductio  
ab initio, quo initur, in persona conductoris non inuoluit; ergo nec  
solo tempore adiecto (b) eam, quam ab initio non habet, naturam domi-  
nii translatiūam consequi poterit. (b) Volunt porro quoque leges,  
quod non minus vel minus tempus adiectum diuersum contractus initi  
effectum constituat, sed propria contrahentium voluntas, nec non conuen-  
tionis propria forma atque natura, (c) quae in locatione conductione nun-  
quam est dominii translatina. — Tempus denique in relatione ad  
eum, cui adiectum est, contractum consideratum solum ad eius acci-  
dentalia, quae in mero contrahentium arbitrio posita sunt, indeque  
nec amplius contrahentibus, quam eis placuit, damnosa fieri possunt,  
pertinet, adeoque qualiscunque eius ex arbitrio contrahentium so-  
lum facta adiectio naturam et essentiam contractus tamen variare ne-  
quaquam, vel maiorem effectum iuris translatiūam contractui tri-  
buere potest, quam qui ex sua natura regulariter ei inest (d). Sed et  
ad 2.) in legibus ipsis de eo, quod per locationem conductionem  
perpetuam dominium quoddam in conductorem transeat, altum est

silene

(a) L. 8. D. Mand. L. 2. §. 1. D. de Hered. vend. L. 18. D. de V. O. L. 12. et  
31. D. ad Sct. Maced. L. 1. §. 13. D. Depos.

(b) Cap. 18. de R. I. in 6to.

(c) L. 8. D. Mand. L. 23. D. de R. I. L. 4. D. de Vslur. L. 3. D. de Act. et Oblig.

(d) Conf. Struui Synt. I. Civ. Er. XXIV. §. 7.

silentium. — Nullibi leges supra §. 1. iam citatae, quae in locatione conductione generatim titulum dominii translatuum non contineri statuant, inter temporalem atque perpetuam discrimen faciunt, potius vbiique tam de hac, tam de illa promiscue id loquuntur, nec inter breve, vel longum vel perpetuum tempus, eo effectu scilicet, vt huic effectus dominii praecipuus insit, distinguunt, adeoque locationem conductionem omnem, quod tempus attinet, in effectu ex parte conductoris aequare videntur. Leges vero vbi non distinguunt, nec ICTorum est distinguere. (e) Hinc recte quoque iam RITTERSHVSIVS in Partit. Feud. Lib. II. Cap. 3. Qu. 36. animaduertit: Distinctionem inter modicum atque longum tempus continere fundamentum aquosum atque lubricum. Nam si haec distinctio eo cum effectu, quem DD. vulgo sibi fingunt, fundata esset, sane eam nec iuris conditores in legibus suis, nec ICTi Romani in tractatibus suis de locatione conductione editis, praetermisissent, vt recte monet Hunnius in Var. Resol. Lib. III. To. VII. P. II. Qu. XIV. p. m. 1152. — Cum ergo ab his ingesta prorsus, nec specialiter notata sit, inde arg. L. 15. D. de Injur. in aprico est, eam ex eorum sententia inter notabilia non pertinuisse. Legibus porro cum cuilibet permisum sit, locationem conductionem in perpetuum contrahere, sane in solo facto locationis perpetuae non contineri potest ratio dominii in conductorem translati, quam leges ipsae cum illo non coniunxerunt. Vera itaque causa perspicie nequit, cur is, qui in perpetuum locavit, deterioris conditionis fieri debeat eo, qui tantum ad certum tempus locat, cum in utroque tamen absit voluntas dominio suo in re locata competente in favorem conductoris renunciandi! Translationem nullam dominii cuiusdam per locationem perpetuam potius in conductorem fieri, praeserrim vero et inde intellegitur, quod leges ipsae conductoribus etiam longissimae possessionis, tanquam rei, alienae possessoribus, praescribendi ius prorsus dene-

gent

(e) L. 8. D. de Publ. in rem act.

gent.<sup>(f)</sup> Nam cum praescriptio saltem de iure nouissimo, quod cum vsu capione eam ratione effectus exaequauit, nihil aliud sit, quam adiecio et adeptio dominii, quis quæsio, esset sensus atque effectus istius legis dispositionis prohibitiuae, si ab initio contractus non locatores manerent, sed conductores fierent dominii rei locatae, cum posteriores tunc essent statim rei propriae, non alienae possessores, adeoque in eis casus ex praescriptione completa demum adipiscendi domini, quod ex contractu initiae locationis iamdudum in eos transiit, contingere plane non posset. Accedit denique, quod iuris nostri conditores in omnibus istis §. 1. supra iam adductis textibus iuris, qui generaliter et indistincte de quavis locatione conductione, nullo habito quoad effectum respectu temporis, in quod ab initio inita est, loquuntur, semper dominium in re locata iuri conductoris, tanquam ius a posteriori plane diuersum, opposuerint, quod certe fieri non potuisse, si locationi perpetuae ex sua natura iam species in conductorem translati dominii inesset. Tandem ad 3) haec de eiusmodi dominio in re locata conductori perpetuo competente DD. opinio intentioni contrahentium nequaquam conuenit. Initium enim cuiuslibet contractus, de cuius effectu definiendo quaeritur, semper spectandum esse volunt leges litt. a.) citatae; contrahentes vero in dubio semper secundum essentiam contractus ex legum dispositione communi ipsi inherenterem contraxisse putandos esse, itidem leges nostræ iubent.<sup>(g)</sup> Iam vero ex natura locationis conductionis generatim §. 1. spectata, satis abunde adparet, in ea non hoc inter contrahentes agi; vt proprietas rei locatae dominij inue quoddam transeat in conductorem, sed potius vt tantum ususfructus rei locatae determinatus conductoris sit pro certa mercede soluenda. Si ergo dominium ex locatione perpetua transferri putare vellemus, reuera effectum contractus ultra consensum contrahentium extendere

(f) Conf. L. 2. C. de Praescript. 30. vel 40. annis.

(g) L. 15. D. Loc. L. 24. §. 1. D. eod. L. II. D. de Act. emt. L. 5. C. de Le. gibis.

mus, qui tamen vnica omnis iuris ex contractu deriuandi norma est. Hoc autem contra claram legum dispositionem fieret, vtpote quae prohibet, ne ynquam actus obligatorius vltra intentionem agentium quidquam operetur.<sup>(h)</sup> Accedit, quod leges nemini, ex iniuria temporis generari debere quidquam praeiudicii contra suam voluntatem velint.<sup>(i)</sup> Nonne vero locator contra suam voluntatem rei locatae dominium, de quo in conductorem transferendo ipse tamen non cogitauit, prorsus amitteret, si tanta conductori perpetuo deserretur praerogativa, vt eum post 30. 40. plurimumque annorum decursum amplius pro restitutione rei locatae non dominietenus, sed usus solius gratia possesiae non inquietare posset, atque ita inuitus cogeretur conductorem nouum commodiorem, utiliorem, forteque sibi minus grauem dimittere, et priorem contra suam voluntatem atque utilitatem retinere, vel annis omnibus super dominio suo in re locata conseruando iuxta L. 2. C. de annali Except. tenorem publice protestari, ne ex lapsu temporis eo cadat. — Cum porro iam in legibus ipsis cautum sit, quod nemo in dubio ius suum in totum iactasse praesumatur, indeque quilibet contrahentium censendus sit, quam minimum voluisse ius dominii sui restrictum, ademtum, vel impeditum;<sup>(k)</sup> principiis iuris prorsus contrariatur, ex parte locatoris, in indefinitum licet locantis, animum transferendi dominium in conductorem interuentum statuere, quem ipse expresse nunquam declarauit. Expressa vero de transferendo in conductorem dominio si ex parte locatoris facta esset declaratio, repugnaret sane contractus naturae, adeoque nihil aliud efficere posset, nisi quod contractus non maneret locatio conductio, sed statim degeneraret in alium contractum, et sic regulam §. 1. allegatam non interuerteret. Vnde ergo, quaeso, ius illud dominii, quod DD. vulgo

sibi

(h) L. 19. D. de Reb. Cred. L. 19. D. Si cert. pet. Hommel in Rhaps. Obs. 513.

(i) L. 4. C.

(k) Conf. Cothmannus in Resp. 42.

sibi fingunt, conductori perpetuo accresceret. Ex facto locatoris sane non, cum hic tale ius dominii in eum non transferre voluerit, siveque et ille nec accipere potuerit, quia nemo ex contractu plus iuris sibi arrogare potest, quam alter in eum transferre voluit, nec vero ex facto suo proprio possessionis longissimae, cum eos folios praescriptio- ne dominii sine iusto initio coepta posse sibi acquirere, qui *sibi* potius quam *alteri* possident, eleganter dictum sit in L. 2. C. de Praescript. 30. vel 40. annorum, conductor vero nunquam ex legibus inter eos, qui *sibi* solum possident, reseratur, vtpote qui potius ex mente legum nu- dus detentor rei locatae, personam imaginemque locatoris sui vbiique repraesentans et circumferens habetur. Inde quoque est, quod in legi- bus cautum reperiatur,<sup>(1)</sup> quod conductor, etiam si per longissimum tempus uniformem pensionem singulis annis numerarit, tamen, quam- diu ab initio de titulo locationis conductionis constet, et pensionem istam, qua colonus et conductor, soluerit, nulla diuturnitate possessio- nis paratam securitatem contra locatorem pro restitutione rei locatae eum inquietantem consequi possit. In eo tamen casu, si conductor causam possessionis suae mutauerit, i. e. vel verbis vel factis commu- ni obligationi conductoris prorsus contrariis animum rem locatam sibi propriam habendi locatori, vtpote domino suo, sufficienter et bona fide declarauerit, hoc vero facto per legitimum tempus, locatore scien- te vel tacente rem locatam, vt proprietatem, possederit, ex parte conductoris procedit quidem acquisitione dominii rei locatae, sed, quod probe animaduertendum, ex praescriptione qualificata completa, non vero ex locatione conductione perpetua ipsa, adeoque vides, hunc casum sin- gularem nihil quidquam ad stabilendam DD. opinionem faepius dictam facere, eum effectus solum sit mutatae a conductore cause possessionis.

Denique et ipsa Glossa iam titulum dominii translatiuum, qui vulgo locationi conductioni perpetuae inesse creditur, pro valido non agnoscit, vtpote quae ad legem 88. §. 15. D. de Leg. II. animaduertit,

(1) L. 2. C. de Praescript. Longiss. temp.

(m) L. 33. §. 1. L. 39. L. 60. §. 1. D. Locat. L. 2. C. de Praescript. 30. vel 40. ann.

quod,

quod, cui prohibitum sit alienare, ille tamen non prohibeat locare, licet in centum vel plures annos locet. Verum ex hactenus propositis satis iam, ut mihi quidem videtur apparebit, communem illam de dominio in conductorem perpetuum transeunte opinionem solidi fundamento prorsus destitui, quamobrem non est, quod in eius falsitate detegenda longius morer. Si vero quisquam putet, ea, quae hucusque tradidi, firmo non prius stare talo, nisi auctoritate DD. contentientium corroborata sit, ille sciat, quod quamplurimi ICTi maxi-mi nominis, in locatione perpetua dominium non transferri, quoque statuant, quorum catalogum apud KAESTNERVM in programmate §. 2. litt. e.) supra iam citato videre licet.

#### §. 4.

Occupatus hactenus fui in probando, dominium in genere per locationem conductionem perpetuam non transferri. Dominium vero sic dictum vtile, quod ex DD. sententia vulgo statuitur, species sane est dominii in genere, si vere existit. Quidquid valet de genere, valet et de specie. Ergo non opus mihi erit, de dominio vtili adhuc separatim, quod non insit locationi conductioni perpetuae, demonstrare, idque eo minus ad officium meum pertinebit, cum ICTi doctissimi iam ante me probatum dederint, dominii utilis speciem tum essentiae ipsius dominii in genere, tum legibus ipsis repugnare, et tantum DD. atque Glossatorum inuentum, inde enatum, ut interpres juris existimarent, quod, sicuti actio in rem alia directa, alia vtilis sit, ita et dominium duplex esse debeat, directum vnum scilicet, vtile alterum etiamsi nullum iuris Romani proferre possint locum, quo haec distinctio probetur. Supereft itaque nunc vt ad alterum huius tractatiunculae partem, quam enarrandis atque refutandis rationibus DD. dissentientium §. 3. referuaui, tractandam transeam.

#### §. 5.

Sunt vero rationes istae quibus DD. dissentientes vulgo vtuntur partim ex iure Ciiali, partim ex iure Canonico desumptae, quare pro hac duplice fonte quoque eos recensere lubet. Piores sunt iterum vel 1) Generales vel 2)

D

Speci-

*Speciales*, distinctum itaque tractandae. Illae factam a DD. locationis conductionis perpetuae cum aliis eidem maxime similibus negotiis, dominium transferentibus, et quidem praesertim  $\alpha.$ ) cum emtione venditione,  $\beta.$ ) Cum superficie per modum locationis conductionis constituta; et  $\gamma.$ ) cum emphyteusi comparationem, in eaque fundatam translati ex locatione perpetua dominii argumentationem pro fundamento suo babent, cuius fragilitatem iam proprius examinare erit officii. Ad  $\alpha.$  igitur quod attinet ita DD. argumentari solent: Certum cum ex legibus sit, magnam inter emtionem venditionem atque locationem conductionem reperiri similitudinem, et utramque iisdem sere regulis confitere, id ipsum praesertim vero de locatione perpetua eo cum effectu esse statuendum, ut haec magis pro emtione venditione, quam pro simplici locatione habenda, immo potius certe ipsi venditioni quoad effectum adaequanda sit: Iam autem extra omne dubium esse positum, quod per emtionem venditionem dominium transseat: Ergo, concludunt, eundem effectum translati dominii et cum locatione conductione perpetua communicandum esse. Verum quam lubricum, primisque iuris principiis prorsus contrarium hoc argumentum sit, iam ex iis, quae supra §. 1. de similitudine inter emtionem venditionem recte definita praemonui, facile animadvertere licet. Eatenus scilicet tantum haec similitudo ex mente legum Romanorum admittenda est, quatenus vel utriusque natura atque pars ratio eam patitur vel non ex ipsa legum dispositione in quibusdam essentialibus vel naturalibus huius vel illius contractus diuersa causa statuta sit, cum alias, si per omnia factam utriusque exaequationem quoad effectum iuris statuere vellemus unus idemque cum emtione venditione locatio conductio contractus non ab illa diuersus esset, qualis tamen ex legibus ipsis expresse habetur. Porro nullibi in legibus, effectum dominii istam qui inest emtioni venditioni cum locatione conductione in genere, multo minus, ex specie cum locatione perpetua, communicatum esse, constitutum inuenimus ~~et~~ quo tamen DD. dissentientes prium syllogismi sui principium petunt; loquuntur eatenus ergo

ergo siue lege, quod I<sup>c</sup>t<sup>o</sup>s per Nou. 18. Cap. 5. non decet. Accedit denique, quod idem illud, quod DD. dissentientes etiam in praemissis suis habent, scilicet per emtionem venditionem semper dominium transferri, nequidem generatim, sed in eo tantum casu verum sit, si vendor ipse quoque antea fuerit dominus rei venditae atque translatae, cum contra, si non fuerit eius dominus, facultatem eam habendi et conditionem vsucapiendi solum, <sup>(a)</sup> non vero dominium circa rem venditam in emtorem transferat. Totam hanc ergo argumentationem claudicare, quis est qui non videt. - Non maioris vero sane ponderis ad 2.) est illud a superficie ad locationem conductionem perpetuam ductum argumentum, vt pote quod a diuerso ad diuersum formatum: superficies enim, licet per contractum locationi conductioni similem ineatur, nunquam tamen est locatio conductio sed diuersum prouersus ab ea ex sua natura atque intentione contrahentium manet negotium. - In superficie enim constituenda statim ab initio inter dominum fundi atque superficiarum et quidem non tam ex consensu utriusque directo, quam potius ex ipsa natura sui obiecti, scilicet fundi, in quo constituitur vt pote quae sine quodam iure reali coniuncto nullum ex parte superficiarii commodum exercitium ususfructus circa hanc concessi admittit, id agitur, vt superficiario conductitio ius solo conducto perfecte atque plenarie etiam cum eiusdem commutatione vtenodi, in eoque superficiem quandam extruendi praebeat; cuius contemplato ipse vt auctor, et quodammodo dominus, considerari potest: At in locatione conductione nunquam inter locationem atque conductorem agitur id, vt ius reale, sed tantum, vt ususfructus rei locatae concessus in conductorem transferatur pro certa mercede debito tempore soluenda. Cum vero per supra dicta iam pateat, quemlibet contractum initum ex propria sua, non ex alieni contractus lege vel pacto constituta natura atque forma dijudicandum esse, et actum obligatorium quemcunque ultra intentionem agentium nihil quidquam operari posse, certius iam nihil esse potest, quam quod a superficie

D 2

ad

(a) L. 1. D. de Rer. Permut. L. 80. §. vlt. de Contr. Em.

ad locationem conductionem recte concludi non possit. Falsum denique etiam est illud, quod DD. in hac conclusione supponunt dominium scilicet illud, quod in superficie per modum locationis conductionis constituta in superficiarium transire, esse. Etum esse locationis conductionis accidentis, cum tamen effectus solum sit ipsius superficie per eam constitutae, inde contingens, quod haec per se ius in fundo competens, cuius exercitum adaequatum vix commode ex parte superficiarii sine iure reali quodam in eum translato fieri potest, iam inuoluit, adeoque effectus dominii translatiuum, quem habet, ei magis ipso iure, quam ex conuentione partium, insit. Locatio conductionis enim cum in superficie constituenda nunquam, tanquam contractus principialis, viporta qui in illa ipsa continetur, internuerat sed solum, ut contractus accessorius, qui modum tantum superficie constitutae efficit, accedat necesse lane est, ut et naturam illius dominii translatiuum sequatur, cum tanquam modus contrahendi ordinarii contractus per eam inita naturam mutare nequeat. Neque tandem quidquam praesidiū inde adscitur huic conclusioni, quod superficiario, qui non ad modicum tempus superficiem conduxit secundum L. I. §. 1. D. de superficiebus actio vtilis in rem competit. Nam a concessa hac actione ad ipsum translatum in eum, cui concessa est, dominium tutam non esse consequentiam vel partem partim ex exemplo actionis Publicane viporta quae vtilis quidem in rem actio itidem est, et tamen eum, cui competit non facit dominum (b) partim ex eo, quod ex lege allegata nequidem simpliciter, sed deum causa cognita, i. e. si de animo contrahentium constet in superficiarium derivetur actio vtilis in rem. Tandem vero et postremum ad n. 3.) ab emphyteusi desumptum argumentum ICtorum dissentientium esse falsissimum, statim ex historia arque natura emphyteusis prono fluir atque. Constat enim ex L. I. C. de iure Emphyt. et §. 3. D. de Locat. conduct. tempore Sectarum apud Romanos inter duas ICtorum Sectas acriter disputatum fuisse utrum emphyteusis ad locationem conductionem an vero ad emitionem venditionem referre vellent, et denique, postquam sectae studium Romae eruberuerat, a ICtis ericiscundis receptum fuisse, emphyteusis esse speciem quandam locationis conductionis, et quidem locationem perpetuam, donec tandem per L. I. C. de iure Emphyt. emphyteusis ex cunctione singulari Imperatoris Zenonis ius aliquod tertium, atque peculiarem contractum tam ab emitione venditione, quam locatione conductione diuersum constitutre cooperit. Ex quibus recte colligi posse infero, emphyteusis dominium non contine; nam si contineret, cur, obficio, non ad emitionem venditionem eam non retulissent, cum emito venditio contractus sit dominii translatiuus, non aequa locatio conductionis nisi conuicti fuissent acutissimi illi ICti, emphyteutae nullum plane dominium esse tribuendum. Pertinet huc etiam verba THEOPHILI in Paraphrasi Graeca ad §. 40. I. de R. D. οἱ τα σιτεῖδαι καὶ τριβετάρια εχούτε παλαι, κατὰ συνχωρητὸν δῆμων, ἡ βασιλέως, εκ ἡστῶν δεσπότων: ἡ γαρ δεσποτέων αὐτῶν ἡ παρὰ τῷ δῆμῳ, ἡ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ ἔχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χρήστην καὶ ἐπικαπνίαν καὶ πληρεστάτην κατοχήν, ὡς δύνασαι, καὶ ἐφ ἑτέρων μεταφέλειν καὶ ηλέγοντος παραπεμπεν. Τὸν γαρ ιταλιῶν αγρῶν ἦτοι σινειων οἱ δεσποτοις τὴν δεσποτίαν είχον. — Dominium in emphyteutam nullum transferri, evincitur quoque ex L. I. §. 1. D. si ager vest, i. e. emphyt. pet. quae si evoluitur, expressis verbis in hac lege dicitur: *Qui in perpetuum fundum frumentum conduxerunt a municipibus. quanvis non efficiantur dominii, placuit ramen eis compescere in rem actionem aduersus quemuis posse.*

(b) §. 4. I. dictationibus,

*sefforem.* Opponi quidem posset, verba: *Quamvis non efficiuntur domini*, sic esse accipienda, ut non proprii quidem domini siant, dominium vero utile emphyteutae non esse denegandum, cum actio in rem aduersus quemvis possessorem non solum sed et aduersus ipsos municipes ei competat. Eigo si ei, qui vestigalem fundum conductit, actio in rem competit non tantum aduersus quemvis possessorem, sed et aduersus ipsos municipes, factendum videri, conductorem ex hoc genere contractus fieri dominum; sed respondet, dum actionem hanc iprem aduersus ipsos municipes summa ex aequitate atque utilitate propoliuisse Praetorem, ut facilis municipes inuenient conductorem, qui fundos ciuitatis vestigales in perpetuum conducere vellet, ciens futurum, ut eo nomine actionem in rem et exceptionem haberet etiam contra dominum, quamvis tamen non efficiatur ex eo dominus: Accedit, quod in L. 2. et 3. C. de iure Emphyt. Iustinianus semper dominium in re emphyteuticaria opposuerit iuri emphyteutico, quod fieri certe non potuisse, si emphyteusi dominii species inesse. Denique dominium in emphyteutam plane non transfigeretur, vel exinde appararet, quod vici capi illi non possint, scilicet aduersus ciuitatem, cuius sunt per L. 12. D. de Publ. in rem act. Cum enim vici capio nihil aliud sit, nisi adiectione et adeptio dominii, quis, quoefo effectus illius propositionis esset, fundum vestigalem aduersus ciuitatem et municipes vici capi non posse, si non ciuitas atque municipes domini manerent. Falsum ergo cum sit quod DD. habent in praemissis, scilicet in emphyteusi dominium transferri, necesse est, ut et quae inde ora est argumentatio, fundamento suo profrus desistatur praesertim cum conmixinione emphyteuseos cum locatione conductione factam sapiat, quae constitutio Imperatoris ZENONIS supra iam notatae et diametro repugnat. Si quis itaque statuerit iure nouissimo quod in L. 12. C. de fund. patrae videtur, notum tamen habeat fallere ad locationem cum iure nouissimo emphyteuthis ad contrarium degeneraverit re locatione plane diuersum emphyteutam omnino tractum esse dominum.

### §. 6.

Satis iam refutatis rationibus generalibus, quibus DD. dissentientes ad probandam opinionem suam, dominium per locationem perpetuam transferri, uti solent, nunc ad rationes eorum speciales dijudicandas me conuerto, quae in argumentis legum quarundam positae, et fere sequentes sunt. Argumentuntur scilicet 1.) DD. dissentientes ex L. I. D. si ager vect. pet. secundum quam ex longi temporis conductione datur utiles in rem actio conductori aduersus quemvis possessorem, translatum quoddam dominium ideo, quia sine eo conductori actio in rem competere non posset. Verum minus recte se habet haec conclusio. Nam primum datum illam conductori in rem actionem utilem non esse ex translato rei in emphyteusin concessae dominio, sed potius ex beneficio singulari, quod L. I. D. Si ager vect. pet. in fauorem speciale locationum publicarum receptum est, adeoque ad aliorum fundorum priuatorum conductionem nequaquam extendi potest, iam appareat ex iis, quae §. 5. ad n. 3. in fine dixi. Deinde competit quoque haec actio in rem utiles conductori ex L. I. cit. quamvis non efficiatur rei conductorae dominus. Actio enim in rem est directa, vel utiles. Illa solum ei datur, qui dominus est iure ciuili, (a) et dicitur *Quirarius*, vel iure Gentium et ex auctoritate Praetoris, qualis est e. g. bonorum possessor, b.) et appellatur *Bonitarius*. Haec vero etiam datur ei, qui nullo iure dominus est, i. e. neque ciuili iure, ne sit in potestate iniusti cuiusque inuisoris, occupata pos-

(a) L. 23. D. de rei huic.

possessione, eo praetextu quod non sint domini, ius eorum laedere et plus cautionis in re sit, quam in persona. Si itaque emphyteuta vel conductor dominus esset vel dominus Quiritarius vel Bonitarius ut sit necesse foret, non enim agnoscunt iure consulti alium dominum. Iam eum Quiritarium non esse per se patet, ergo Bonitarius esse deberet, quod tamen aequa falso, et vel ex eo intelligi potest, quod dominus bonitarius haberet actionem in rem directam. Haec igitur cum emphyteuta ex L. I. lit. non habeat sed tantum vitem in rem actionem, haec vero debet ei, qui nullo iure dominus est; patet inde, ex data hac conductori vestigialium actione dominium illorum simul in eum translatum argumentari non posse. Prouocant 2.) DD. dissentientes ad L. I. §. 3. D. de superficie secundum quam conductori, qui ad non modicum tempus superficiem conduxit, actio in rem competere dicitur putantes, quod concessa haec in rem actio sequela translati in superficiarium dominii sit, sed falso hoc esse, patet iam ex dictis ad §. 5. n. 2. Nemini enim, verba huius legis securius inspicienti, dubium esse poterit, hanc legem non de simpli locatione conductione alicuius rei, de qua iam tantum sermo mihi est, sed de locatione conductione qualificata superficie, i. e. eiusmodi obiecti, quod iam ex sua natura atque lege ius reale quoddam in conductorem ideo transfert, quia sine eo iuris superficie exercitum commode atque utiliter habere nequit, tantum loqui, in qua translatum dominium non locationis conductionis, utpote modum superficiem contrahendi solum constituentis, adeoque accessorie tantum interuenientis, sed potius ipsius superficie per eam constitutae utpote contractus principalis, effectus statim ab initio est. Porro 3.) DD. aduerfarii utuntur argumento occasione L. 20. C. de Locat. Cond. in qua scriptum est: *Qui rem propriam conduxit, existimat alienam, dominium non transfert sed inefficacem conductionis contractum facit*, a contrario in id desumpto, quod ergo, si quis non rem propriam, sed alienam conductat, dominium transferatur. Sed et hanc argumentationem admodum aquosam esse, duplici ex ratione sane appetat, partim generatim ex ea, quia omne argumentum a contrario sensu ductum hic infirmissimum fit, cum textus expressi §. 1. recentissimi in contrarium exstant; partim specialiter ex ea, quia in casu legis allegatae non ideo dominum rei conductas non transfertur, quia conductio rei propriae non valuit, quod alias, si valuerit, translatum esset, verum idcirco, quis hoc ipso, quod rem propriam quis sibi conductam volens non habuerit animum dominium suum dimittendi, illudque in locatorem transferendi. cum ignorauerit rem propriam esse, sed aliam putauerit, adeoque per eiusmodi locationem conductionem de re propria initam nihil prorsus ex mente huius legis agatur. Tandem 4) ex L. 31. D. Locati, praefidum non leue pro opinione sua DD. oriri dissentientes, id circa putant quod hac in lege generatim a ICto Alseno, in locatione conductione dominium transire dicatur. Sed itidem sine ratione. Nam si quoque cum Franzekio in Comment. ad ff. Tit. Loc. Cond. §. 17. seq. hanc legem non de casu locationis conductionis maxime singularis initae, in qua per accidens solum dominium rei locatae in conductorem transferunt, interpretari velis; hoc tamen certum maner, quod ista in lege casus maxime specialis deprehendatur, in quo dominium rei locatae tantum per pactum locationi conductioni initae a contrahentibus ea lege adiectum, vt non eadem res in specie, sed alia eiusmodi generis reddi debeat a conductore, translatum, adeoque evidentissime falso sit, ex ipsa natura locationis conductionis iuxta legem citatum dominium in conductorem transferri, de quo caeterum conferri meretur Cuiaci Lib. VII. Obs. Cap. 39., utpote qui admodum egregie hanc legem explicat.

§. 7.

Absolutis nunc rationibus DD. dissentientium ex iure ciuili desumtis, reliquum est, vt rationes eorum in iure Canonico fundatas breuibus quoque attingam. De suntas haec rationes sunt solum ex eo, quod Canones locationem in longum vel perpetuum tempus contra iuram prorsus prohibent, quem certe non prohibuerint, nisi per eam dominum transferri statuerent. Quod vero hic supponunt DD. ratione caret. Verum enim quidem id est, quod in Cap. 9. X. de Reb. eccl. alien. prohibitum reperitur, ne locatio perpetua in rebus vel praediis ecclesiae fiat deinde et Papa Alexander IV. in Cap. vii. X. Ne Praelati vices etc. iussit, ne res ecclesiasticae ultra septem annos locentus, tandem vero Papa Paulus II. tempus locationis de rebus ecclesiae ineundae in Cap. vii. Extr. com. de Reb. Eccl. alien. ad triennium solum restrinxerit (a). Sed haec prohibitio juris Canonici solum cautelae gratia facta est hac praesertim ex ratione, vt amissio dominii ecclesiae circa rem locatam competentis occasione locationis in longius tempus facta facile inde, quod conductor illud ecclesiae dominum accedente usurpatione quadam diuturnitate temporis corroborata, in primis fede ecclesiae vacante, vel impedita, vel negligenta administratorum admissa forsitan subtrahere, adeoque sibi viam commodam futurae proprietatis consequendas parare posset, metuenda praeaequeatur, atque in primis suis viris statim auertatur minime ideo, quod locationi conductionem iam actu et a prima eius origine translatio domini rei locatae insit, introducta est. Procedit ergo haec iurius Canonici prohibitio non ex ipso naturae locationis conductionis, sed solum ex mera arbitria extensio legis quae ad omne auertendum, futurum praeiudicium ecclesiae expresse voluit, vt sub prohibita alienatione locatio conductione ad longius vel perpetuum tempus facta comprehenderetur. Posset enim eueniire, vt, si locatio conductione ad longum vel perpetuum tempus facta non esset, utilius ius forsitan ecclesia acquisiuisset, per illam ergo amissum, et in effectu ~~afficeret~~ praefenti prohibitioni. Non vero illa prohibitio iurius Canonici pro forte habet, quod alienationis stricte sic dictae verbo locatio conductione illa in longius vel perpetuum tempus facta iam ex sua natura atque ob effectum dominii in praefenti contingente comprehendatur. Obiciunt quidem dissentientes, cautelae gratia illa prohibitione prorsus non opus fuisse, cum et conductor perpetuus, tamquam rei alienae, adeoque male fidei possessor, nunquam tamen rem locatam ecclesiasticam ob defensionem iusti tituli contra ecclesiam praescribere posset, adeoque potius translationem dominii in locatione conductione perpetua ipsa comprehensam pro unica eius ratione habendam esse. Sed prius licet concedatur, tamen occasione locationis perpetuae initae non raro eueniere poterat, vt conductor perpetuus, causa postfissionis mutata, ius quoddam reale contra ecclesiam locatricem ex tractu temporis sibi tribueret, adeoque haec in primis, cum propter temporis antiquitatem vix amplius de titulo locationis conductionis originario constarer, in eius statum redigeretur, in quo ei non tam ius, quam probatio eius, vt Ictus Paulus in L. 30. D. de Tifam. Tunc, aut, desiceret, indeque ob solam inoplem probationis peragendae dominio suo in re locata, competente iniuria temporis excideret. Id cum vero in summum ecclesiae praeiudicium vergeret, id occasionem dedit, vt de iure Canonico omnis locatio conductione ultra triennium in rebus ecclesiasticis prorsus sit prohibita, ne ex longiore vel perpetua locatione quidquam futuri detrimenti capiat ecclesia. Caeterum vero nihilominus et de iure Canonico ex locatione condu-

7 frane

(a) Conf. Facionum de Locat. Conduct. Cap. XIV.

ditione perpetua dominium rei locatae in conductorem non transferri, satis appareat ex Cap. 6. X. de Fide Iustr. vtpote in quo dicitur, quod ad probationem rei propriae non sufficiat locatio conductio. Quod capitulum cum generaliter et indistincte de locatione loquatur sane nec ad temporalem restringi, nec locatio perpetua ab illius dispositione excipi potest. Vnde iam sequitur, quod nec ex iure Canonico opinio DD., dominium ex locatione perpetua in conductorem transire, quidquam praefidii capiat.

## §. 8.

Lubet tandem ex iis, quae haec tenus tradidi, quaedam colligere corollaria, quae fere sunt sequentia: 1) Locationem conductionem perpetuam ius tantum ad rem minime vero ius in re in conductorem transferre, adeoque 2) alienationem stricte sic dictam, i. e. iuris proprietatis translationem, non involueret; ergo 3) et ab eis personis quae alias plane non, vel nonnisi cum consensu vel sub foleinibus quibusdam adhibitis, alienare valent, e. g. tutoribus, minoribus, etc. fine praeiudicio iniuste posse; porro 4) Locatori perpetuo quoque ius expellendi conductorem perpetuum ex omnibus eiusdem causis competere, ex quibus hoc ius in locatione conductione in genere obtinet. 5) Conductorem perpetuum nec rei vindicationem nec aliam in rem actionem directam propriam ex persona, sed solum ex persona locatoris accidente eius expresso vel tacito mandato, exercere posse; tandem 6) cautelam de locatione in longum tempus vel in perpetuum nonnisi sub pacto adiecto expresso item quousque sexennio, vel nouennio renouandi ineunda, quam fuggerit Dn. celeb. STRYKVS in Tract. de Cautelis. Contr. Sect. II. Cap. IX. § 6, profructus esse superfluum, neque satis tutam per ea, quae Peretz. ad Cod. h. Tit. n. 15. innuere famam vindetur. Sed sufficiant haec, de titulo dominii translatione in locatione perpetua exule dixisse.

Reliquum istu itaque est, ut bona verba adhuc hodierno die natali tvo laetissimo dicam. Gratulor ergo, Pater summa cum pietate mihi colende diem hodiernum faustissimum, felicissimum, mihi et omnibus tuis ex corde optatissimum tantum cum votorum amplitudine, quantum meus in te animus summa pietatis religione ductus postulat. Certe te inter nos, quae redditus hodierni diei felicissimi producit, gaudia omni prosperitatis genere Nestores per annos florere cupio, tibiique ex commodo publico, ex ipsis familiae, cui summa assiduitate atque benevolentia praeceps, salute priuata, et ex amicorum votis fausta quaevis, fortunata, felicisque ex animo laetissimo, gratissimo, tibiique in aeternum studiofissimo appreco. Plura adhuc quidem de votis istis ardentissimis, quibus hodie perfundor, de innumeris tuis ex primis pueritiae temporibus in me collatis beneficiis, et de summa, quam animus meus tibi quidem habet, sed agere non valet, gratia addere valorem, nisi nimiam tibi afferre molestiam vererer. Sufficiant ergo haec vota qualiacunque, laetabunda mente lane a me prolate: faxitque Deus ter optimus maximus, ut votorum horum fructus yberrimos quam diutissime consequaris. Quidquid, Pater optime, tibi contigat iucundum, desideratum, auspiciatumque, id omne tibi contigisse gauiisurum me ex animo semper fore equidem optime scio. Caeterum ut me quoque, cuius in te obseruantiam pietatemque omni officiorum genere testafissimam semper cognosces, tva benevolentia atque memoria in perpetuum complecti hanc dederis, vehementer etiam atque etiam abs te rogo. Vale, iterumque vale. Dabem Halac a. d. XVIII. Decembris MDCCCLXXXIV.

Re 162

S

Vor 16





**Farbkarte #13**

B.I.G.



GRATVLATORIA  
Q V A  
ATIONE IVRIDICA  
DE  
TRANSLATIONE  
IN  
PERPETVA EXVLE,  
PRAEMISSA.  
PATRIS OPTIMI NATALEM  
ABVNDA MENTE  
RATVLATVR  
AVNDVS PHILIPPVS SEMLER  
IS, QVOD HALAE EST, ASSESSOR.

Kc 162

HALAE,  
I. C. HENDELII.

M D C C L X X X I V.

